C. M. C. A.

SINGVLARIA

QVÆDAM THEOREMATA PHILOSOPHICA, ET MEDICA.

A GELLO DE GELLIS Miniatense, in Almo Pisarum Gymnasio extraordinariјs diebus Medicinæ Lectore, & Rudi Academ. publicè discutienda proposita.



FLORENTIAE.

Apud Cosmum Iunctam. 1617. Superiorum permiss.

ILLVSTRISS.

ATQ; REVERENDISS DOMINO D. COSMO EX COMITIB. GHERARDESCHÆ, EPISCOPO COLLENSI.

Patrono mihi ſemper Colendiſsimo.

GELLVS DE GELLIS MINIATENSIS F.P.

PERCONTABERIS forſam ILLVSTRISS. Comes, ac REVERENDISS. Antiſtes, qua permotus cauſa Theoremata hæc Philoſophica, & Medica tuæ auctoritati dicata apparere decreuerim: ſed profectò nil aliud me impulit, quam ea cogitatio, quæ ſemper in animo meo pœnitus inſcait, vt aliquam rationem inirem, qua tibi voluntatem erga te meam, & ſingularem obſeruantiam aliqua ex parte declararem: quo quidem diſiderio cum vehementius quotidie flagrarem, ferrerquè cupiditate quadam inſatiabili, vt quantum te ſuſpicerem, apud

animum tuum testatum relinquerem; Eam præstolatus sum occasionem, qua ardentissimum hoc desiderium aliquatenùs licebit explere: Alia namquè ratione, quam bonarum, honorabiliumquè Artium Studijs operam nauando, mihi metipsi satisfacere prorsus desperabam. Hilari igitur fronte hoc excipe, quamquàm tenue, & perexiguum Munusculum, atque illud ex voluntate pensabis, Diuos imitatus, qui pauperem lacte supplicantem diuiti thura proferenti non postponunt: quoniam cum id sit ingenioli mei fructus aut fętus immaturus, vt ipsum ea, qua præditus es innata humanitate foueas, ex poscit, nè inuidorum Detractorumq; morsibus obnoxius prodeat: Et si in posterùm de me aliquid maius sperare potuero, tuo nomini dicandum velim, tibi certò persuadeas. Vale, mequè deinceps protegere, atquè in tuorum additissimorum numero conseruare non dedignaberis. Fortunetquè D. O. M. Dignitatem Ampllissimam, qua frueris, & te semper tueatur; incolumemquè diutissimè custodiat.

PHILOSOPHIA, & medicina tàm arctè, tamquè tenacitèr coniunguntur, cohærent, copulantur, vt ne tantillum quidem diuerti, seiungi, segregari, possint. Meritòquè Plato, Arist. Gal. vt plerique citant, Sorores esse dicebant, Alteram animi, Alteram corporis conseruatricem, vnde extat illud Diogenis Laertij in laudem Platonis.

φοῖβος 'ἔφυσε βροτοῖς 'ασκλήπιον, 'ηδὲ πλάτωνα,
Τὸν μὲν ἵνα ψυχὴν τὸν δ' ἵνα σῶμα σαῷ.

Quo significatur Phœbum genuisse AEsculapium, & Platonem, vt ille corporibus, hic animis mederetur. Hinc etiam monemur, neminem posse fieri bonum Medicum quin sit idem, & optimus Philosophus. Philosophiæ itaquè, & Medicinæ non nullas ex principalioribus assertiones proponimus, eo iure præmittendo Phisicas, quo Anima proestat Corpori. Hinc sumpto exordio.

1 PHILOSOPHIÆ speculatiuæ subiectum substantia naturalis nobis probabiliter statui posse videtur. *Philosophiæ subiectum.*

2 Cuius Primordia sunt numero tria, eaquè Materiam Primam Formã, & Priuationem esse asserimus cum Arist lib. 1. Phis. Auscultationis. *Principiorum Numerus.*

3 Affectiones verò eiusdem, Motum, Infinitum, Locum, Vacuum, & Tempus statuimus, cum eodem lib. 3. Phisic. & sequentibus. Mox dicemus quid sit horum vtrūq; & alia multa (omnia enim proponere nolumus, quando breuitati, quàm maximè incumbimus) ipsis congruentia. *Affectiones substantiæ naturalis*

De Materia Prima.

4 MAteria prima est primum, Subiectum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid cum insit, non secundum accidens, & si quid corrumpitur, in hoc abibit vltimum: ita eam definit Arist. 1. Phisic. tex. 82. & 2. etiam tex. 28. ac alijs in locis. *Materia prima Quid.*

5 Ad ipsam autem inueniendam nulla accomodatior via excogitari potest mutatione substantiæ per demonstrationem *Via inueniẽdi Ma*

teriā primam. tionem ab effectu, cuius maior Propositio declaratur per Analogiam, & similitudinem quamdam cum mutatione accidentium, quæ sensile subiectum habent.

Materiæ primæ duplex consideratio. 6 Cuius duæ sunt considerationes. Vnam Absolutam esse dicimus, qua consideramus materiam, quatenus est ens, quæ prima Notio vocatur Alteram verò respectiuam, quatenus est aliorum principium, quę secunda notio nuncupatur.

Attributa primæ Materiæ. 7 Attributa eiusdem sunt varia, & diuersa: nam ipsi primo modo consideratæ tribuimus negationem omnium formarum, nec non dimensiones, & quantitates, quas vocant interminatas. Eidem autem secundo modo acceptæ, priuationem, & potentiam recipiendi formas, conuenire putamus.

Potentia Materiæ duplex. 8 Quæ potentia est duplex. Vniuersalis vna dicitur, & est propensio materiæ ad omnes formas indistinctè recipiendas, quæ nunquàm perit, estque materiæ in prima notione consideratę semper coniuncta, eiusdemquè proprietas, quæ ad materiæ differentiam essentialem, à qua ipsa pendet, declarandam, aptè accipitur: Est in summa Aeterna sicut materia, cum sine hac nunquam sit, est tamèn de essentia constitutiua materiæ secundo modo acceptæ.

9 Particularis verò altera, qua materia ita hanc formam respicit, vt non alias, quę potentiæ coarctatio fit ab agente, ita materiam præparante ad hanc formam recipiendam, vt non sit apta recipere alias, nec non à forma proesente. Quæ potentia necessario interit in aduentu formæ, quatenus est particularis potentia, illam tantum formam respiciens. Hactenus de prima rerum materia, alia, quæ de ipsa dici solent breuitatis gratia consultò omittimus.

De Forma.

Formæ descriptio. 10 FORMAM quidpiam diuinum esse dicimus cum Arist. 1. Phisic. tex. 81. & rationem, & quod quid erat esse rei, nobiliorem, atque Materiæ Priorem prioritate perfectionis.

11 Quæ

11 Quæ quidem (quantum nostri instituti est) duplicis generis esse dicimus Alia enim cum educatur è potestate materiæ ab Agentibus naturalib. est generabilis, corruptibilis, ac à materia inseparabilis, huius generis sunt inanimatorum omnium formæ, Plantarum, ac etiam Brutorum. Alia autem non item, qualis est Anima ipsa humana De qua aliquantulùm digrediendo hæc subiungere placet. *Forma duplex.*

12 Fatemur igitur Animam hanc, quæ Intellectus humanus, ac Anima rationalis dici solet, informare corpus humanum, vt figura Nauis, & securis, ipsam nauim, & securim, non autem assistere homini, sicut Nauta Naui, & intelligentia quæque suo orbi; & hoc non solum secundum veritatem, sed etiam (licet satis arduè) secundum Arist. placitum. *Intellect. informat corpus humanum.*

13 Quæ etiam multiplicatur ad multiplicationem quorumcumque indiuiduorum hominum, & non est vna omnibus assistens, quę habeat tanquam suum orbem totam speciem humanam, quemadmodum Themistius, & Auerr. subtiliter opinati, & acriter tutati sunt.

14 Neque sicuti aliæ formæ naturales è materiæ sinu, & potestate educitur, sed de foris accedit (eo sensu acceptò extrinsecus accedere secundum Arist. vt ante corporis ingressum operari potuerit, cum à nullo organo impediri fieri possit, quin extrinsecus adueniat, non autem quod extrinsecus materiæ inducta sit, ita vt prius extra materiam generationis fuerit, nulla enim prorsus forma etiam secundum Arist. hoc modo exstrinsecus aduenire putatur) & ob id separabilis à corpore ponenda est, immortalis. immixta, incorruptibilis, ac omnium aliarum formarum, quae apud nos sunt, apprimè diuinissima, & prœstantissima. *Forma humana est separabilis à corpore, & immortalis.*

15 Eadem est extenta ad extensionem materiæ, proindè tota secundum extensionem suam in toto est, & pars in parte, non autèm tota inqualibet parte, & quælibet pars in toto. *Forma est tota in toto & pars in parte*

16 Eiusque facultates omnes insingula parte inesse statuimus secundum originem, secundum subiectum autem non item. Si enim posset operari, non operante Phantasi, *Facultates Animarũ sunt*

tasi,

in singula parte corporis.

tasia, intellectio fieret in singula parte corporis, proindè si in pede v.g. esset Phantasiæ organum, ibidem etiam intellectionem fieri posse arbitramur.

17 Hoc quod dicimus de Animæ Rationalis facultatibus, tuemur etiam esse verum de sentientis, & vegetantis Animæ Potentijs: Si n. exempli gratia, pes haberet oculum, reciperet facultatem visiuam, cum originaliter, licèt non subiectiuè, etiam in pede resideat. Hæc de forma dixisse satis esse volumus, si aliqua de priuatione in medium attulerimus, ad alia progredi optimo iure poterimus.

Materia, & forma principia per se priuatio per accidens.

De Priuatione.

18 CVM itaque hucusque de materia, & forma, quæ per se principia generationis dicuntur, pertransigerimus; Parest modo, vt aliqua de priuatione, quæ est principium per accidens breuiter subiungamus.

Negationis, & Priuationis discrimen.

19 Asserimus igitur priuationem, quam statuit Arist. tertium principium rerum naturalium, & terminum à quo ortus, interitus verò ad quem, in 1. de Phis. auditu: non esse illam vniuersalem absentiam omnium formarum, per quam definitur Materia 7. Metaphis. tex. 8. per non esse quid, nec quantum, nec quale, & c. ab illa namque differt in eo, quod ipsa est pura negatio, non est principium, ex quo res fiant, alioquin sequeretur primò omnibus formis vnam numero priuationem opponi, secundò priuationem esse æternam, quod nefas dictu est, si standum sit ijs, quæ 1. Phis. nos docet Arist. hæc autem scilicet priuatio, cum formæ cuilibet quæque propria opponatur priuatio, in aduentu formæ, cuius est contrariũ, interit, & recedit, estquè necessariò coniuncta cum quadam forma præcedente formam generamdam, cui illa priuatio opponitur; & constituente in materia simul cũ naturali agente potentiam recipiendi illam formam.

Priuatio quomodo ad materiam se habeat.

20 Quæ priuatio ita se habet ad materiam, vt non sit de eius essentia, neque si in prima, neque si in secunda notione accipiatur, cum enim ea sit vnum principium, nõ potest esse de essentia alterius principij, nullum namquè horum principiorum de essentia est aliorum, aliquin, si

ipsa

ipsa esset de essentia materiæ, Materia interiret in aduentu formæ. Primo modo accepta materia est quædam natura absoluta, vt iam diximus, secundo modo tamen sumpta procul omni dubio est ei necessaria, quoniam nisi ipsa esset priuata, ex illa profectò generaretur nihil in generatione enim requiritur terminus à quo, qui est Priuatio, ad quem; qui est forma, & subiectum commune vtriusque termini, deferens mutationem, cuiusmodi est materia prima, est ergo Priuatio necessaria materiæ, sed tanquam natura quædam alia alij accidens naturæ, quia materia habet potestatem recipiendi æque formã ac priuationem, quo circà vtraque materiæ accidere dicitur, & extrà eius essentiam esse, cum intereat vtraque in materia, & materia sinè vtralibet esse possit. Et hæc de Principijs primis substantiæ naturalis nobis asseruisse satis sit.

De Natura.

21 Verum quia eius perfecta cognitio præcipuè pendet à principio formali, substantia autem naturalis est naturalis per naturam; idcircò exigit nostri sermonis series, vt nouum principium facientes, Quid sit Natura, cum Arist. aperiamus, insuper dicentes quot modis dicatur natura, & quid naturę nomine potius dignum sit, materia ne, an forma enucleantes, laconicè prout ingenij nostri vires tulerint progredientes.

22 Naturam itaque fatemur esse cum Arist. 2. Phis tex. 3. Principium, & causam mouendi, & quiescendi in quo est principium per se, & non secundum Accidens. *Natura definitio.*

23 Ex quo separantur res naturales, in se habentes huiusmodi, principium ab Artificialibus, quę vt Artificiales sunt, eo ipso orbantur.

24 Cum autem dicitur in definitione, Naturam esse principium, motus, & quietis primò, significatur ipsam esse causam medio vacantem, nulla enim alia est ea prior in genere principiorum internorum, eademq; adęquata, quoniam extenditur per omnes subiecti partes, cum subiecto diuidua est, & secundum virtutem, & secundum essentiam; per hanc etiam particulam primò distingui- *Explicatur definitio Naturæ.*

tur natura ab animo. Per illam verò particulam per se segregatur à grauitate, & leuitate, Quia non est instrumentum, sed absoluta causa inter internas. Per illam demum, non per accidens, à causa fortuita, qualis est medicus, dum curat se ipsum.

Natura duplex. 25 Quæ Natura est duplex, Materia scilicet ac forma, & tam hanc, quam illam dicimus esse principia motus passiua, licet de forma prædicetur natura prius, quam de Materia vt docuit Arist. 2. Phis. tex. 12. formam esse magis naturam, quàm materiam, Et hæc de principijs substantiæ naturalis, consideratis tùm quatenus sunt ipsam constituentia, tùm quatenus sunt Motuum, & quietum principia intrinseca.

De Accidentibus substantiæ Naturalis.

26 SEquitur, vt accidentia aliquantulum contemplemur. Inter quæ principem locum obtinet ipse motus, ita vt dixerit Arist. In initio 3. Phis. Ignorato motu, ignorari, & ipsam naturam, qua propter congrua erit connexio cum ijs, quæ proximè de natura, motus principio speculati sumus; si ad motum ipsum considerandum nostrum sermonem conuerterimus; Quid sit, & quot eius species enucleando.

Motus definitio. 27 Motus igitur est Actus Entis in potentia, quatenus huiusmodi: vt alterabilis quidem, quatenus alterabile, alteratio, augumentabilis, & oppositi decrescibilis, augumentum, & decrementum, generabilis autem, & corruptibilis, generatio, & corruptio, eius verò, quod fertur, latio. Sic iacet contex. 6. 3. Phis. in quo omnes species motus sunt compræhensæ. De illarum nonnullis, de generatione nimirum, & cremento præcipua quædam mox afferere est in animo.

Discrimē Generationis ab alijs speciebus motus. 28 De generatione dicimus ipsam differre à corruptione quod hęc est mutatio de subiecto, in non subiectum, illa verò de non subiecto in subiectum: ab alteratione autē, & alijs, differt, quod ipsę fine de subiecto in subiectum.

Generatio & cor 29 Item Generatio, & Corruptio mutationes substantiales dictæ, sicuti cœteri motus tempore mensurantur, ex Arist.

Arist. 4. Phis. tex. 132. vbi ait omnem motum fieri in tempore, quo loci manifestò etiam perspicitur ortum contineri, nec non 7. Phis. tex. 34. docet idem Philosophus considerandum esse velocitatem, ac tarditatem in generatione quoquè, & corruptione 6 itidem eiusdem operis tex. 59. habet in fine textus hæc verba manifestũ est, igitur quod & id, quod factum est, necesse est fieri prius, & qnod fit, factum esse, omnis enim magnitudo, & omne tempus semper diuisibilia sunt: neque obstat illorum euasio, qui contrarium defendunt, asserendo quod si accipiatur generatio cum præuia alteratione coniuncta, fieri in tempore, sed si accipiatur pro eo, terminum, & formam ipsam, quæ iam aduenit, præsefert, puncto temporis obiri, eamquè simplicem esse, non obstat, in quam, hæc eorum distinctio, & conuellitur primo quoniam Arist. tribuit causam diuisionis primò substantię, quam qualitati, namquè 6. Phis. ostendit non esse idem punctum, quo res fit, & facta est, non autem quo res alteratur, & facta est. 2. quoniam sæpissimè nugaretur Arist. nam frequentissimè cum docet motum esse in tempore, postquam de alteratione, & ortum meminit, semper eorum rationem habet separatim, & singulas mutationes seorsum recenset. Non desunt alia multa, quæ possent afferri in eamdem sententiam, quæ tamen breuitatis gratia omittimus. *ruptio fuit in tempore.*

30 De Accretione autem non nihil dicentes asserimus ipsam esse motum viuentis corporis, quo totum, & omnes partes secundum omnes simul dimensiones extenduntur ad maiorem quantitatem, factum ab anima per calorem naturalem, ex alimento intrinsecus assumpto, & in maiores, consumptis partibus, partes substantiæ conuerso, vt ipsum viuens debitam sibi magnitudinem assequatur, ad omnes vitæ operationes exercendas: Ita vt tres conditiones requirantur ad hoc, vt fiat Accretio ex Arist. 1. de ortu, & Interitu tex. 32. & 33. Vna est, vt ex aliqua extrinsecus accedente materia res maior fiat: secunda, vt id, quod augetur, idem numero maneat, postquam auctum est, quod erat ante accretionem. tertia demum, vt non modò totum maius fiat, sed etiam *Accretionis Conditiones.*

quęlibet eius particula augeatur. De motu hæc determi naſſe ſufficiat.

31 Tentandum eſt aggredi modò ſermonem de ijs, quæ conſequenter ſunt. Videtur autem motus continuorum eſſe, Infinitum verò apparet primum in continuo, qua propter de infinito, eſto, quod debeat definiri, dicimus ipſum eſſe, cuius aliquid ſemper eſt extra accipere.

32 Quod quidem dari, & non dari admittimus, eo modo, quo placuit Ariſt.

33 Ad hæc autem ſine loco, & vacuo, & tempore impoſſibile eſt motum fieri.

34 Definimus itaque locum ſuperficiem vltimam corporis continentis; Eumdem immobilem eſſe admittentes.

35 Quem antiquorum non nulli Philoſophorum exiſtimarunt eſſe vacuum, quod nec eſt, nec dari poteſt, quoniã ſi daretur, in eo motus localis fieret in inſtanti.

36 Tempus tandem eſt numerus, & menſura motus ſecundum prius, & poſterius, ſic definit Ariſt. 4. Phiſ. teſt. 101 & hæc dè Principijs, & accidentibus communibus ſubſtantiæ naturalis.

De Elementis.

37 AT proximius modò accedere volumus, non nulla etiam ſpeculantes eorum, quæ circa ſimplicia corpora, quæ ex illis primordijs primò conflata ſunt. Quatuor ſcilicet vocata Elementa contingere docet Ariſtot. quòd commodius fiet, ſi prius Elementi definitionem tradiderimus.

35 Nihil aliud ergo eſt Elementum, ſi Ariſt. credimus tertio lib. de Cœlo tex. 31. quàm illud corpus, ex quo quidpiam componitur primò, & in quod quidpiam vltimo reſoluitur, in exiſtente indiuiſibili ſpecie in alienam ſpeciem.

39 Sunt autem Elementa numero quatuor, hæc ſunt Ignis, Aer, Aqua, & Terra, quorum triplex eſt conſideratio.

40 Primò enim conſiderantur, vt ſimplicia corpora ſunt, & ſic eorum formæ nos latent, & ſunt innominatæ; dicuntur tamen eſſe illæ, à quibus fluunt, quæ primæ qualita-

litates, & secundæ vocantur.

41 Secundo autem vt vniuersum constituunt, & sic considerantur in opere de Cœlo, & Mundo, quæ circumscribuntur per grauitatem, & leuitatem, à quibus prouenniunt motus simplices ipsis competentes. Motus enim simpliciter sursum Igni, qui ad Cœli concaua situatur. Motus secundum quid sursum Aeri, qui duo motus à leuitate proueniunt; Motus verò simpliciter deorsum Terræ, secundum quid Aquę tribuitur.

42 Asserentes simplicium Corporum, simplices, mixtorum, mixtos motus esse, mixta autem corpora sursum deorsum ferri putamus secundum motum Elementi, in mixtione dominantis.

43 Tertio demum considerantur, vt principia corporum mixtorum sunt, de quibus hoc modò consideratis locutus est Arist. in lib. de Ortu, & interitu, & sic circumscribuntur per primas qualitates, quæ sunt Calidum, Frigidum, Humidum, & Siccum.

44 Quarum, qualitatum duæ insunt cuilibet Elemento, vt Igni siccitas, & caliditas; Caliditas, & humiditas Aeri, Aquę, Humiditas, & Frigiditas; Frigiditas, & siccitas terræ. *Cuilibet Elemēto bina qualitas.*

45 Harum tales sunt definitiones: Calidum est quod congregat ea, quæ sunt eiusdem generis, & idem contingit excipere aliena. Frigidum quod coniungit, & congregat similiter, & ea, quæ sunt eiusdem generis, & quæ non eiusdem. *Definitiões quatuor primarũqualitatum.*

46 Humidum autem est quod interminabile est proprio terminò facilè terminabile existens. Siccum tandem terminabile facilè est proprio termino, difficulter autem alieno terminabile est. Hæc Arist. 2. de Ortu, & interitu. tex. 8. & 9.

47 Quæ qualitates actione vniuoca tam in simplicibus quam in mixtis mutuò agentes, & patientes, student singulę sibi similè generare, conuertendo contrarium in suam naturam; Agit enim frigidum in Calidum, & patitur ab eodem, sic humidum in siccum, & vicissim siccum in humidum. *Primarũ qualitatum duplex actio.*

48 Actione verò æquiuoca in mixtis aliter contingit, nam

cali-

tum duæ Actiuæ, & duæ paſſiuæ.

calidum, & frigidum actiuæ qualitates dicuntur, ſiccum & humidum paſſiuæ, Illæ ſimul iunctæ ſe habent ad has, vt ſeſe habet Artifex ad materiam: Tunc enim generatur mixtum, quando actiuæ qualitates ita dominantur paſſiuis, vt illæ ad has eam habuerint rationem, & proportionem, quę vnicuique formę educendæ conueniens eſt.

Dominiũ Actiuarum qualitatũ ad paſsiuas quomodo intelligendum.

49 Quod quidem dominium actiuarum in paſſiuas non debet intelligi ſecundum gradus, ita vt in generatione alicuius mixti, vt puta olei, exigantur ſex gradus actiuarum, quatuor autem, vel tres paſsiuarum, ſed eſt intelligendum reſpectu formæ generandæ, & quantum illa poſtulat, ita vt quando eſt talis proportio actiuarum, ad paſſiuas, qualis pro alicuius formę eductione requiritur; tunc dicantur actiuæ dominari paſsiuis.

Calor ſolus cõcurrit ad mixtionis formã educendã.

50 Sed licet duæ ſint qualitates actiuæ, vt dictum eſt, tamen calori tantum tribuimus hanc facultatem educendi formam mixti, ipſe enim ſolum per ſe hoc facit, frigus verò ad id concurrit per accidens, quatenus ſcilicet calorem contemperat.

De Re Medica.

51 QVONIAM autem ſumit Medicus cognitionem Elementorum primarum qualitatum, temperierum, quæ in mixtis prodeunt ex elementorum commixtione, & alia quam plurima, licet diuerſo ſcopo, à Philoſopho naturali, ita vt dixerit Auicen. ea, quæ dicuntur de Elementis, debere Medicum credere Phiſico, igitur poſthac de alijs agemus, quæ ſimùl cum elementis ſumunt Medici à Philoſopho naturali. Quod vt nobis comodiùs fiat duo præmittere volumus.

Medicina eſt Ars.

52 Prîmum eſt Medicam Artem, licèt omnium præſtantiſſimam, non ſcientiam eſſe, Quod patet. 1. quoniam quidquid agit, non ſcientię gratia, ſed operationis, vt corporis ſanitatem, vel conſeruare, vel recuperare valeamus. 2. quia primas cauſas non declarat quibus ignoratis aliæ propinquiores benè cognoſci non poſſunt, namquè primam materiam non conſiderat Medicus 3.

quoniam

quoniam non seruat præcepta veræ scientiæ, quod id, quod alicui tribuitur, ei per se primo, & quatenus tale est competat, exigit; nam constare ex elementis, ex humoribus, &c. de solo homine ostendit, cum alijs etiam competat, & est idem ac, si Mathematicus ostenderet æquilaterum habere tres angulos æquales duobus rectis, quam scientiam vocat Arist. ex accidenti, & sophisticam, cum non soli æquilatero hoc competat, & quatenus est Aequilaterum. Non est igitur Medicina scientia, sed Ars, in humano corpore sanitatem efficiens.

53 Quæ Ars sicuti, & cæteræ aliæ, traditur ordine resolutiuo à notione finis, quemadmodùm scientiæ compositiuo à notione sui subiecti.

Medicinæ subiectū.

54 Huius Artis subiectum est corpus humanum, vt sanitatis, & medicinæ capax. Eiusdem scopus est sanitas. Finis est sanitas adepta, eamque conseruare, si præsens est, eamdemque recuperare, si emissa est.

Medicinæ partitio quincuplex.

55 Alterum est diuisio huius facultatis in quinque partes. Prima Græca voce φυσιολογικὴ dicitur, quæ vniuersam hominis naturā indagat. 2. παθολογικὴ vocatur, quæ causas, affectus præter naturam, & symptomata inquirit. 3. ὑγιεινὴ appellatur, quæ sanitatem tuetur, & ne in morbos incidat Corpus, præcauet. 4 σημειωτικὴ nūcupatur, quæ signorum obseruationes tradit. 5. θεραπευτικὴ nominatur, quæ materias propulsandi morbos docet. De his omnibus pauca quædam transigere est in animo.

De prima parte Medicinæ.

56 AD primam partem spectat agere de Elementis, Temperamentis, Humoribus, Partibus, facultatibus, & spiritibus, Quorum definitiones mox subiungimus, quoniam autem de Elementis satis, superquè diximus, ad alia sermonem nostrum conuertemus. Temperamentum est qualitas, quæ ex actione ad inuicem, & passione contrariarum qualitatum, in Elementis inuentarum, quorum partes ad tantam paruitatem redactæ sunt, vt cuiusque earum plurimum, contingat plurimum alterius, prouenit. Hæc Auic. f. 1. 1. doc. 3. cap. 1.

Temperamenti definitio.

57 Quod

primo, & secundo, de Part. vtrobique cap. 1.& Gal. lib. Art. Med. cap. 9.

67 Facultas est actionum, atq; operum causa effectrix, vti ex Gal. colligitur. lib. 1. de nat. fac. cap. 5. Quaquè etiam potentia interdum virtus nuncupatur Actio verò est ipse Animalis motus, quo opus conficitur: Opus demùm illud est, quod per actionem quampiam factum iam, & completum est, veluti caro, sanguis, os, neruus, & huiusmodi. *Facultatis actionis, & operis definitio.*

68 Tandem spiritus est tenuissima viuentis Corporis pars præcipuumq; animæ instrumentum, vti Gal. placuit lib. 3. de loc. aff. c. 5. & Hipp. l. de flatibus, & hæc de Medicinæ parte prima. *Spiritus definitio.*

De secunda parte Medicinæ.

69 AD secundam partem spectat agere de rebus præter naturam, quæ in tres species distributæ sunt, in morbos .s. & quæ hos antecedunt causas, & quæ hos consequuntur symptomata. Cum verò causę, & symptomata non propter se, sed propter morbum cōsiderentur, id propterea prius de morbo quid sit, & quotuplex proponemus. Morbus itaque est affectus præter naturam, qui per se primò operationes lædit; seu est verè, & formaliter corporis, aut partis ad agendū impotentia, à praua constitutione prodiens. *Morbi definitio.*

70 Quamuis autem pro materiali reperiantur relatio, Quantitas, Intemperamentum, Discontinuitas, ac Priuatio, arbitramur tamen Morbum pro formali nihil horum esse, sed habitualem, positiuamq; qualitatem ad operationes prauè naturam disponentem.

71 Morborum triplex genus ponimus cum Medicis in Intemperie primum, subdiuisum in nouem temperamenta, quorum vnum est medium, & temperatum reliqua verò octo intēperata vnò, aut duobus à medio recedentibus. Vnde fiunt morbi in intemperie calida, frigida, humida, & sicca, atque cal da humida, calida sicca, frigida humida, frigida sicca, qui morbi sunt partium, simplicium, seu similarium: secundum *Morborū triplex genus, et multiplex differentia.*

preter naturam spiritus cordis incaluit, oritur aphemera; cum humores in cordis ventriculis contentos, apprehendit putrida, vbi demum cordis corpus occupat, Hectica.

75 Aliæ denique à loco, namq; eæ, quæ procreantur ex humore, qui in vasis putrescit, & continetur continuæ sunt, ad integritatem, seu in febricitationem non peruenientes; Illæ autem quæ generantur ex humore, qui extra venas, aut in toto corpore consistit, & qui per vniuersum corpus defertur, sunt intermittentes, quæ ad sensibilem integritatem, seu infebricitationem perueniunt, & satis de his. *Differentia febris in loco putredinis.*

76 Nulla alia profectò ratione medicam facultatem olim inter sapientiæ Patres à summis Philosophis, qui eam diligentius explicauerunt, reputatam existimare par est, quàm quod ad eam maximè medicinæ partem spectare, quæ causas eorum, quæ in corpore nostro eueniunt expenderit. Namque cum nihil sine causa fieri possit, congruere sanè videtur, vt morborum idea, & differentia perspecta, ad eam tractationem, quæ omnium causas differit, accedamus. Cum igitur quatuor sint genera causarum ex Arist. 2. Phisic. tex. 28 & 29. & 5. Metaph. 2. & 3. dicimus morborum non esse nisi causam formalem, quæ est vnius cuiusque morbi natura, & essentia, atque efficientem Materialis verò, & finalis non reperiuntur, quoniam cum morbus nihil sit artefactum, vt statua, non est, ex materia secunda, vt illa ex ære, cum etiam non sit substantia, sed accidens, vt diximus de qualitatis categoria, non est ex materia prima, ideò caret causa materiali, caret etiam finali, namque ea propter finem fiunt, quæ in aliqua perfectione suam essentiam habent, morbus autem in imperfectione consistit. Quapropter, & materiali, & finali causa carere morbum luculenter patet. *Morbus caret causa materiali, & finali.*

77 Speculabimur igitur de causa effectrice, asserentes eam esse, quæ primò, & per se confert ad agendum, quæ quidem cum morbum generet, non est dicendum quod sine fine operetur, sed humor putris, calefaciens *Efficientis causæ definitio.*

 cor,

diatè ipſum conciter,quæuè habet plures ſpecies ſpecialiſſimas,ſub ſe comprehenſas.

82 Tandem continens cauſa ponenda eſt,quæ differentias nullas habet, ſed ſpecialiſſima eſt, & vna in omnibus morbis, ſiue materialibus,ſiue ſecus,quæq; neceſſario adeſt, ipſauè poſita, affectus, ſeu morbus neceſſariò ſequitur, & ſemota,ex neceſſitate ſe mouetur. Et hæc de morborum cauſis, eorumdemq; differentijs. Eſſet modo vniuſcuiuſque morbi ſingulas cauſas proponere, ſed prolixiores æquo fieremus. Quapropter noſtra nunc tranſigat oratio de differentiis, & cauſis ſimptomatum in genere, tantum de ijs aliqua tangendo. *Cauſa continens.*

83 Symptoma igitur ſic definiri nobis placet ex Gal. 2. Meth.c.2.& 3.& lib.de diff.ſympt. eſt affectus in corpore,qui morbum ſequitur, ſeu eſt id, quod morbum ſequitur velut vmbra corpus,cauſamque ſortitur morbum ipſum, licet aliquando ex cauſa morbi, & non nunquam ex alio ſymptomate ſuboriri contingat, ita vt triplici poteſt ſymptoma inſigniri cognomine, primum quidem dicitur ſymptoma cauſæ, quod eſt actio læſa, quæ fit fruſtrata facultate ob externum erratum, vt ſi coctio ventriculi læderetur ob pituitam à capite delabentem, aut ab aliqua alia cauſa. Secundum ſymptoma morbi nuncupatur, quod morbum ipſum immediatè ſequitur. Et tertium ſymptoma ſymptomatis vocatur, quod ſequitur aliud ſymptoma, nihilominus verum ſymptoma illud eſt, quod ſolos morbos neceſſario ſequitur. *Symptomatis definitio.*

84 Cuius ſunt tria genera, nam cum ipſum ex ſua natura nihil aliud ſit, quàm actio læſa, & actiones ſint in corpore noſtro numero tres .ſ. Animalis, Vitalis, Vegetalis, ob id tria tantum erunt ſymptomatum genera, primum eſt actio læſa, ſecundum mutata qualitas, tertium excreta, & retenta. *Symptomatũ tria genera, et plures ſpecies.*

85 A quorum quolibet tot ſuccreſcunt ſymptomatum differentiæ, quot operationum munia in actionibus fieri poſſunt. Corruptio .ſ. diminutio, & ablatio, idq; iuxta actiones, & miniſteria facultatum, tum ani-

malium

malium, tum naturalium, & vitalium; animales sunt tres .s. motus, qui specie caret, & sensus, qui adhuc duplex est, internus, qui iterum triplex, imaginatio nimirum, ratio, & memoria, & externus, qui etiam quintuplex, nempè visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Naturales sunt quatuor, trahens, retinens, concoquens, & expellens; Vitalis est pulsus. Secundum symptomatum Genus quatuor species habet quæ.s. visu, odoratu, gustatu, & tactu percipiuntur, quæ enim auditu ad tertium genus referuntur. Circa tertium genus considerandà est quantitas, & occasio, & modus exeundi, & substantiæ modus, & color, & interdum etiā odor. His symptomatum speciebus continentur omnia, quæ homini contingunt. Hæc est tota Gal. doctrina lib. de diff. sympt.

Symptomatū causa. 86 Causæ eorumdem sunt morbi ipsi, vel causæ, vel aliud symptoma, docent Gal. lib. de sympt. cau. & hæc de secunda Medicinę parte.

De tertia Medicina parte.

87 VERVM quia non potest deuitari mors in æternum, id propterea medici inuenerunt artem, qua saltem vitam degere iocundiorem, & salubriorem valeamus: Quæ ferè tota absoluitur iis, quæ in hoc breui loquio continentur, Hipp. 6. Epid. sect. 6. text. 4. habet hæc verba labores, cibi potus, somnus, Res Venereæ, omnia mediocria, quam sententiam referens Gal. lib. 2. de sanit. tuen. cap. 2. ipsorum verborum ordine, ordinem rerum contineri dicit.

Cibus simplex praferendus multiplici. 88 Cibus simplex vario, ac multiplici est præferendus ex sententia Platonis lib. 3. de Rep. & Plin. lib. 11. c. 52 & Dissario Medico lib. Saturn. cap. 4. Auic. lib. 1. f. 3. doct. 2. c. 2. & Hipp. lib de flat. & 2. de Diæta, & lib. de flat. quod quidem dogma lepidè confirmat Horatius lib. 2. Satyr. 2. sic scribens. *variæ res*

Vt noceant homini credas memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit, ac simul assis
Miscueris elixa simul conchilia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoquè tumultum.
Lenta feret pituita.

89 Si tamen contingat multiplici ciborum varietate homines vesci, docet Gal. 3. de rat. vic. acut. com. 22. vt semper debeant ingeri prius, quę facilius corrumpuntur, & quæ subducuntur magis. *Ordo ciborum.*

90 Bis in die cibos assumere, sprandere, & cęnare vtilius, quam semel, aut pluries esse censemus, quamquam lex constitui non potest pro ratione consuetudinis, ætatis anni temporum, & huiusmodi. *Cibationis partitio.*

91 Vtrum autem expediat plus cibi in prandio assumere, quàm in cœna controuersum est, putamus tamen vtrumque probabiliter posse defendi. Et hęc de tertia medicinæ parte.

De quarta Medicinæ parte.

92 NVLLA alia re vulgus omninò indoctum Medicum magis admiratur, & extollit, quam prædictione eorum, quæ futura sunt, prę̄stita: Neque artifex prudens, peritus sapiensque ab Idiotis, & impostoribus euidentius discernitur, quàm ex futurorum prouidentia: Hanc enim partem qui rectè callent, tum salutarem curationem adhibent ex Hypp. primo Progn. tex. 4. tum calumniam deuitant, denunciando lethales affectus ex eodem text. 7. atque in causa est, ne infamentur præsidia deploratis adhibita; Huc etiā accedit, vt audentius homines Medico se se committant, vt idem Hipp. præcitato loco text. 3. tradit, quæ fides ęgrotantium erga medicum, vt dicebat Aui. plus valet, quam ipse valeat Medicus cum ipsis suis instrumentis. De prognostico itaque aliqua addere non ab re fore putamus.

93 Summa igitur totius præsagitionis in morituris, & conualituris est, quoties vis ægrotationis cum ægri facultate conferatur, uti docuit Hipp. pr. Progn. 6. *In duob. consistit præsagitionis sūma.*

94 Atque tantò morbus est magis grauis, & periculosus, quanto dissimilarius reddit corpus à sibi sano. Quibus exactè libratis, quàm minimū aberrare contingit. Quod veri artificis munus esse censetur.

95 Pro rato etiam habemus prænunciationes salutis,

aut

tatiæ actiones omnes sunt firmæ cum decore, & consuetudine, siue loquendo, siue silendo, aut agendo, aut quiescendo fiant.

100 Nihilominus desipientię, quæ cum risu fiunt, securiores, quæ verò cum studio periculosiores censentur, vt scriptum reliquit Hippocrates 6. Aphor. text. 53. rursus distinguenda sunt critica deliria, qualia recensuit Hipp. in Historia in. De Alcis horto decumbentis, & Virginis abderitis, & larissææ, & heropiti, maximè si coctionis adsint signa, si euacuationes conferentes, delirium sedantes prorumpant.

101 In morbis acutis spectanda etiam sunt manuum gesticulationes, collectio festucarum, aut staminum è vestibus auulsio, & alia huiusmodi, lethale namquè quidpiam hæc ipsa portendere docet. Hipp. 1. Progn. tex. 26. *Præsagia ex motibus manuum.*

102 Vitia facultatis vitalis sunt omnibus aliis periculosiora, adeò vt certius mortem, ac citius accersant, quam reliquarum potentiarum. *Præsagia à facultate vitali.*

103 Quæ præsentia, & ab internis causis proficiscentia maius periculum, & certius promittunt, morbo acuto superueniente ob summum virium languorem, qui præexistit, quàm si alicui morbo ipsa succrescant, quod nullus sit morbus, qui adeò vires prosternat, ac vitia cordis.

104 Si verò vtraque coeant, res æstimari debet grauissima, & periculosissima, & quæ mortem minatur, nisi cordis affectiones in morbis, aut extrà ipsos ab externis, & euidentibus causis suboriantur, sed internis, & frequenter: Quæ omnia nobis videtur Hipp. complexus fuisse 2. Aphor. tex. 42. dum inquit, qui fortiter, ac frequenter absque causa manifesta exoluuntur, de repente moriuntur.

105 Ad prædicendum magnum præstant emolumentum vitia facultatis naturalis cuius potissimum officium est concoquere, ab ea igitur signa desumuntur coctionis, & cruditatis, ex illis salutem, ex his mortem ad futurám colligimus. *Præsagia à facultate naturali.*

106 Capitis itaque defluxus cocti, aut crudi, vel quouis

modo mutati, multa cōmonſtrant.

Sputũ bonum, & malum.

107 Thoracis quoquè ſputamina mala ſunt, quæ alba, leuia, & æqualia non exiſtunt, vti ſunt ſpumoſa, flaua, ruffa, rubra, pallida, viridia, nigra, valde fœtida, æruginoſa, & huiuſmodi.

108 Ventriculi faſtidia, vomitus, nauſea, & ſubuerſio, multa pollicentur mala, ſi malè exierint.

Deiectio bona, & praua.

109 Necnon Alui deiectiones, quæ ſub ruſæ mediocris ſubſtantiæ, ingeſtis reſpondentes non ſint inteſtinorum, Hepatis, Ventris, & demum totius corporis malum oſtendere aptæ natæ exiſtunt.

Vrina optima, & praua.

110 Sic vrinarum ea eſt optima, quæ ſub flaua, aut ſub rufa eſt cum ſedimento albo, reliquę verò ad malum vergunt ex Hipp. 2. Progn. text. 26.

Sudores boni, & mali.

111 Sudores identidem illi optimi habendi, qui calidi ſunt per totum corpus, in die critico, cum febris non rediturę ablatione: Reliqui verò malum perpetuò indicant ex Hipp. 2. Prog. text. 29. Hactenus de quarta Medicinæ parte.

De quinta, & vltima Medicinæ Parte.

Inſtrumẽta Medica numero tria.

112 NVNC de τιρχπιυτικῆ pertractare intendimus, quæ quidem pars adhuc tripartita eſt, prout tria ſunt inſtrumenta quibus morbos profligamus, Dieta nimirum, Chirugia, & Pharmacia, iſtis enim tota curatio abſoluitur, alia autem, quæ à Medicis tractantur propter curationem ad medicinam ſpectare dicuntur, de his igitur aliqua ſubnectere operepretium, imò neceſſarium cenſemus.

Alimentũ à quo indicetur.

113 Ad Dietam ſpectant omnes res non naturales, ſed nos tantummodo de ratione victus, à quo indicetur, & quotuplex ſit proponemus: Indicatur ergo alimentum, vt alimentũ eſt, à virtute quidem, vt medicamenti autem vicem habet à virtute cum morbo coniuncta.

Dietæ differentiæ.

114 Qui quidē victus triplex eſt, primus eſt plenus, qui ſanis conuenit, quia vires auget. Secundus mediocris, qui tum ſanis, tũ ægris conuenire poteſt. Tertius tenuis, qui ex Gal. rurſus quadripartitus eſt, vt ipſe do-

cet

cet lib. Aphor. Comm. 4. Primus ĕnim tenuiſſimus eſt in extremo. Secundus tenuiſſimus quidē, ſed non in extremo. Tertius tenuis ſimpliciter. Quartus tenuis exquiſitè; Quæ ſpecies victus indicantur à variis morborum ſpeciebus habita ſemper tamen ratione ad uires: necnon etiam à morborum variis temporibus, & ætatibus, & regionibus, & anni conſtitutionibus, & conſuetudinibus; pro uariatione enim horum variatur, & ſubſtantia, & quantitas, & qualitas ciborum, vt paſsim nos monent Hipp. & Gal. lib. 1. Aphor. quæ in vniuerſum aſſeruiſſe ſatis eſſe volumus de primo Medico inſtrumento.

115 Iam ductus artis eo nos trahit, vt de ijs agamus, quæ ad Chirurgiam pertinent, & cum multa ſint, quæ hac parte compræhenduntur nos dumtaxat de ſanguinis miſsione agere decreuimus; quod quidem pręſidium, & ſanis, & ægris hominibus adminiſtrari poſſe arbitramur. *De ſanguinis miſſione.*

116 Idemque adminiſtrari poſſe, & vt euacuatiuum, atque, vt reuulſiuum eſt auxilium ex Gal. ſententia lib. 9. Meth. cap. 5. & lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. cap. 11. *Venæ ſectionis indicationes, et coindicationes.*

117 His duobus præmiſſis. In ſanis hominibus ſanguinis miſſio, vt euacuatiuum præſidium indicatur à plenitudine affatu digna qualis Athletarum eſt, vel à morbo magno imminenti à plenitudine cauſando: Quando autem, vt reuulſiuum auxilium exercere voluerimus hanc indicationem ſuggeret morbus magnus imminens, aut incipiens à ſanguinis fluxione concitandus.

118 In ægrotis, vt euacuatiuum eſt auxilium, indicatur à præſentis morbi magnitudine, à ſanguinis multitudine genitus, vt reuulſiuum verò à ſanguinis fluxione procreatus.

119 Vires etiam adeſſe debent, quoniam remedium non ſolum indicari, ſed etiam tolerari debet, idcircò, nùm virtus ferrè poſſit, perpendendum eſt, propterea, quod ſi vires abeſſent æger refectione potius indigeret, itaque præcipuum coi..dicans ipſas eſſe ar-

 bitramur

bitramur, id est non indicare, quod contrario modo agamus, consideratione tamen dignum est, quod si vires per oppressionem non adsint; per vacuationem exonerari exigunt, si autem per resolutionem nequaquam.

120 At secundo loco ætas, anni tempus, Cœli status, Regio, Consuetudo, superuenientia symptomata, & huiusmodi possunt contraindicare, vel non prohibere, aut id remedium limitare.

121 Verum licet exquisitè neque dici, neque calamo scribi possit quantum sanguinis vacuari debeat (hoc enim est, quod artem ipsam, ex Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 12. coniecturalem reddit) nihilominus quantitas sanguinis detrahendi primo, & per se à verè indicantis scopi incremento indicatur, eamdemq; primò, & per se quantitas, & robustarum virium latitudo coindicant, vti Gal. lib. præallegato c. 13. scriptum nobis reliquit; Secundario autem ætas, consuetudo, tempus, anni, & huiusmodi.

Sãguinis missio vsque ad animi deliquium.

122 Arbitramur tamen nunquam, dum vacuamus, esse synchopim expectandam: Quod enim, boni sperare possumus, vbi ad extremum vires languescunt? Licet aliquando ægrotos vsque ad animi deliquium seu Eclypsim, aut lypothymiam perducere conueniat cum. n. est morbus maximus, non absolutè, sed ex eorum numero, qui venæ sectione sanari solent, viresquè sint robustissimæ, vtrique scopo proportionatam vacuationem instituere debemus, & in his casibus tunc cohiberi vacuatio expedit, cum vires vacillant, quod expulsu cognosci perbellè docuit Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. c. 12. 13. & 14.

Tribus conuenit sanguinis missio vsque ad animi deliquium.

123 Quæ sanguinis detractio vsq; ad animi deliquium in tribus potissimum conuenit affectibus: Primus inflammatio est vehementissima, quemadmodum est carbunculus ex Gal. lib. 14. Meth. cap. 10. atque etiam Pleuritis ex eodem 2. acut. text. 10. & lib. de cur. rat. per sang. miss. c. 14. Secundus est febris synocha, tam putrida, quàm non putrida ex Gal. lib. 9. Meth. c. 4. Tertius tandem est lassitudo tensiua, & phlegmonosa

exeo-

ex eodem lib.4, de sanit. tuen. c. 10.

124 De venæ sectione rursus dicimus ipsam tribus de causis iterari. Primaquidem est, vti Gal. memoriæ prodidit lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 12. vt reuulsio facilior, & certior instituatur. Secunda autem, vt vires imbecilliores eam tutius perferre possint. Tertia demum, vt sanguis extra maiores venas in corporis habitum iam sparsus, ad eas deducatur, ipsa postea iteratione vacuandus, quomodo sanatur lassitudo illa grauissima, & periculosa.

Venę sectio iteratur tribus de causis.

125 Phlebotomia vtero gerentibus tum graui, & acuto morbo obsessis, tum etiam, vt illę ab ipso aborsu præseruentur conuenire putamus ex Cor. Cel. & Aue. sent.

Venæ sectio prægnantib. conuenit.

126 Dicendum modo restat, quo morbi tempore tam vniuersali, quam particulari, qua hora, & alia quædam; sanguinis missio sit administranda. Pro reuulsione igitur facta in inflammationum, fluxionumq; principijs semper conuenire non dubitamus ex Gal. mente lib. de cur. rat. per sang. miss. c. 16. & 13. Meth. & 2. ad Glauc. Pro euacuatione verò aliquando in principio, aliquando in alijs temporibus; nihilominus in putridis febribus in principio duntaxat pro comperto habemus conuenire.

Quibus morbi tẽporibus cõueniat sanguinis missio.

127 Atque putamus in febribus intermittentibus in interuallo, aut in declinatione sanguinem esse mittendum, in synochis autem hora mattutina circiter horam vnam iam à somno excitis, sicque procedendum est, nisi necessitas aliter vrgeat.

Qua hora sãguis detrahẽdus.

128 Hora etiã mattutina detrahendus est sanguis quando huiusmodi præsidium ratione præseruationis administrari conuenit, ex Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. c. 21. Quo in casu tempus anni quoque perpendendum docuerunt Hipp. & Gal. 6. Apho. tex. 47.

Quatuor sunt sanguinis missionẽ remorantia, aut impedientia.

129 Verum in ægrotis non est inconsultò, & temere ad sanguinis missionem administrandam accedendum, propterea quod quatuor vitia, ne illico sanguis mittatur remorari, aut impedire possunt. Quorum emendatio est ad Phlebotomiam præparatio illa verò hæc sunt, aluus adstricta: Alimentorum iampridem assumpto-

ſumptorum cruditas; Malorum humorũ Abundantia in ventriculo, in Meſenterio, circa Lienem, Iecur, & In teſtina conſiſtens ventriculi exquiſito ſenſu prædítum, aut amaræ bilis fluxioni obnoxium, aut alia ratione imbecillum, quæ obſeruanda ſunt, atque, dummodò affectus det inducias, abſitque vrgentia, Clyſteribus, Syrupis lenientibus, & corroborantibus emendanda.

Præparatio ad ſãguinis miſſionẽ.

Quid prius adminiſtrandũ Vena ſectio an purgatio.

130 Perpendendum quoque eſt, quando tum purgare, tum venam tundere conuenit, quid horum prius moliri debeamus, In qua re Chachochimiam primarum venarum lenientibus, vt innuimus prius purgandam eſſe pro certo habemus, ſin autem in venis maioribus cum Chachochimia, tum plenitudo conſpiciantur, à phlebotomia curationem exordiendam eſſe exiſtimamus, ſi affectus ęquales fuerint. Etenim ſi inæquales, ſ. redundent praui ſucci, à purgatione ex Auic. decreto auſpicandũ. Hæc ſatis de venæ ſectione, etenim omnia proponere, & longũ, & tædioſum fore dubitamus.

Purgationis ſcopi.

131 Tertium demum inſtrumentum, quo curatiua Methodus prorſus perficitur, purgatio nuncupatur, quæ eſt humorum ſua qualitate peccantium euacuatio, quæ à morbo magno præſente, aut imminente, à Chachochimia originem trahente egregiè quidem indicatur.

Medicamẽti purgãtis facultas.

132 Quæ fit medicamentis purgantibus intrà corpus deuoratis, propter calorem profectò trahentibus ex Gal. 3. de ſimpl. Med. fac. cap. 24. & lib. 5. cap. 16. tractio enim, quæ propriè tractio eſt, a calore fieri putatur, ſed vt hunc ſuccum, aut illum præcipuè trahant, facit ſimilitudo ſubſtantiæ cum vehementiori calore coniuncta, illum ad huius ſpeciatim humoris tractionem adducens; Cum igitur duæ ſubſtantiæ ſimiles inuicem ſunt, quæ cum ſimilitudine vehementiorem calorem habet, hæc alteram trahit, proinde Agaricus Pituitam, Rhabarbarum, Bilem, ſecum trahunt, abſque eo, quod ab ijſdem viciſſim trahantur.

Purgatio ſanis corporib. pernicioſa.

133 Eadem purgatio, quam his pharmacis Medici moliuntur, ſanis hominibus ab Hipp. 4. Apho. text. 16. & Gal. lib. Quos, & quando, & quibus medicamentis purgare conueniat, prorſus interdicitur, ægrotantibus

autem

autem conuenire non dubitamus, ijs exceptis, quibus multis cruditatibus, ac alijs huiusmodi, laborare conspicimus.

134 Cæterum non sunt, quibus hoc præsidium conuenire videtur, illicò, & inconsultò ad ipsum promouendi, primò namq; materia cruda in morborum initijs minimè est purganda, tunc enim natura ipsa, vt eam concoquat retinere conatur, propterea, nisi turgeat, prius coquenda est, postea expurganda ex Hipp. & Gal. decreto lib. 1. Aphor. tex. 22. *Animaduersiones quatuor ante purgationē.*

135 Secundo loco Meatus, per quos ipsa purgatio fieri debet, sunt aperiendi, ex Hipp. & Gal. 2. Aphor. text. 9. idquè syrupis crassos humores incidentibus, crudosq; concoquentibus, ac alterantibus, balneis, cibis humectantibus, & similibus optimè præstatur.

136 Tertio loco An adsit virium robur perscrutandum est, quemadmodum in sanguinis missione obseruandum monuimus, immò in purgatione magis, namque, vti placuit Gal. maiori cum periculo purgantia exhibentur pharmaca, q̄ ipsa sanguinis missio administretur. Quandoquidē Phlebotomiæ fluxum, mox digito superposito, sistere facilè possumus, at quod semel in ventrem deuoratum est medicamentum, quominus omne deuoratum sit, fieri non potest, neque possibile est, vbi plus, quam conueniat, iam purgetur homo, partem oblati auferre; Hinc factum est, vt tutius præsidium sanguinis missio, quàm purgatio censeatur; vnde magnus Auic. f. 4. c. 3. innuit, purgationes vsque ad animi deliquium minimè esse ducendas; Quapropter de sanguinis missione Hipp. & Gal. pr. Apho. tex. 23. tantummodo sunt intelligendi, cum inquiunt, si æger possit tolerare, ad animi vsque deliquium ducendum fore. *Sanguinis missio tutius purgatione præsidium.*

137 Quartò denique qualis humor peccet, ex Gal. pr. Aphor. tex. 2. coniectandum est, atque etiam per quam viam educi debeat, An .s. per infernam, an per supernam, quemadmodum Hipp. monuit 4. Aphor. text. 6. & 7. nec non tempus anni, & regio sub considerationem congruenter veniunt, vt idem testatur Hypp. lib. 4.

Aphor.

Aphor. text. 5. & lib. 6. text. 47. Insuper consuetudo quoquè, & corporis habitus perpendendus, Annuente Hipp. 4. Apho. 6. atque affectus ipsi optimè respiciendi, teste eodem Hipp. 4. Aph. tex. 8. & 9. Humorumquè peccantium natura, ætas, & alia huiusmodi, non secus, ac circa sanguinis detractionem superius innuimus, diligentèr inuestiganda.

FINIS.

Disputabuntur publicè Pisis in Scola magna Sapientiæ verissimo, & strictissimo seruato disputandi more. Anno 1617. Mense
D.e Hora

Argüentes erunt.

D. Stephanus Arrighius Pistor. Acad. Rud.
D. Bartolomęus Chericeus Aret. Acad. Rud.
D. Hyeronimus Durazzinius Ficinensis.
D. Franciscus Vsimbardius Flor. Acad. Rud.

Et alij omnęs qui velint.

Laus Deo Virginiq; Matri.